



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Superstitionibus, Contra Maleficia Sev Sortilegia Qvae Hodie vigent in orbe terrarum

Arles y Andosilla, Martin de

Romæ, 1559

Quod verba sancta & reliquias possumus suspe[n]dere in collo & per
easdem benedicere infirmos homines vel iumenta seruatis quinque
conditionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29941

TRACTATUS

pertinet omnes ligature & remedia que medicorum disciplina condemnat quibuscunque rebus suspendendum atque ligandum.

Quod verba sancta & reliquias possumus suspendere in collo & per easdem benedicere infirmos homines vel iumenta seruatis quinque conditionibus.

Quod autem verba sancta possint affigi in collo & benedicere infirmos homines vel iumenta vel carmina scripta vel verba sacra; & quod licitum sit eadem secum deferre & portare, hoc possum per sanctum Thomam. ii. ii. q. xcvi. arti. iiii. quinque conditionibus obseruatis. Prima ut caueant ne verba aliqua contineant que pertineant ad inuocationes demonum, expressas vel subintellectas. Secunda ne contineant ignota nomina; quia secundum Crisostomum talia metuenda sunt ne illis aliquid superstitio

sum lateat. Tertia ne materia verborū aliquid falsitatis contineat : quia sic eius effectus non posset expectari à Deo qui non est testis falsitatis. Quarta ne ibi contineantur vana, vt characteres inscripti præter signum crucis. Quinta ne spes habeatur in modo scribendæ vel ligandi : aut in quacūq; huiusmodi vanitate quæ ad diuinam reuerentiam non pertinent : quia aliter iudicaretur superstitiosum. Vnde in decretis dicitur. xxvi. q. vi. non licet attendere nisi tantū simbolo diuino aut dominicam orationem vt tantū creator & Deus omnium honoretur. Præter has quinque conditiones ponit Ioannes nider duas alias in suo præceptorio. præcepto primo. c. xi. quarum prima est vt in alligatione : prolatione : vel scriptura diuinorum verborum respectus solū habeantur ad sacra verba & ad intellectū eorū : & ad reuerentiam seu ad virtutē diuinā a qua expectatur effectus : vel ad sanctas reliquias quibus etiam præfata

TRACTATUS

expectantur secundario: licet à Deo principaliter. secūda vt committatur effectus, qui expectatur, diuine volūtatī que scit / vtrū talis sanitas plus profit inuocanti vel minus: vel an obfit. Et hanc conditionem inquit ponit sanctus Tho. prima. ii. in materia de gratia. & in. iiii. distin. xv. quòd si nulla istarū septem conditionū in opere intercesserit erit illicitū. & prædicta probat illud Marci ultimo. Christo dicente. Signa eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo demonia eiicient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent. Item non minoris sanctitatis sunt verba Dei quam sanctorū reliquie: dicente Aug. Non minus est verbū Dei quam corpus Christi: sed secundum omnes licet reliquias sanctorū secum reuerenter portare: ergo qualitercūq; nomen Dei inuocetur rīte per orationem dominicam: per salutationem Angelicam: vel alio modo licito spes haberi potest in eo, committendo effectum

diuine voluntati.

Quod per diuina verba licitum est
arcere lupos: serpentes: & locustas:
& alia huiusmodi & quō hoc
licite fiat & quomo-
do illicite.

EX quibus dicit sanctus doctor. ii. ii.
vbi supra & etiam in quod libeto.
xii. arti. xiiii. quod prædictis serua-
tis conditionibus per diuina verba lici-
tum est arcere serpentes & eadem ratio-
ne quecūq; animalia si solus respectus ha-
beatur ad sacra verba & ad diuinam vir-
tutem. Quibus conditionibus obseruatis
dico similiter quod licite potest fieri cō-
iuratio contra lupos vt arceantur à rap-
tu, vel præda pecorū & aliorū animalū.
Similiter contra locustas & contra mu-
res vastantes fructus terrę: si nihil super-
stitiosum dicūt docent vel faciūt: vt di-
cit Guilhermus lugdunen. vnde si quæra